



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1779**

**VD18 90119185**

§. 20. Scriptum a Jansenii Defensoribus summo Pontifici oblatum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

Sæc. XVII. ribus ad alloquium admissi comparuerunt, ubi Abbas de Lalane per integram ferme horam perorans declarabat, quod instigantibus Jesuitis, nec non Episcoporum Deputatis, quos mala fide, abjectoque pudore in rebus ad fidem spectantibus egisse insimulabat, quinque hæc propositiones unice ad evertendam S. Augustini doctrinam & auctoritatem consarcinatæ fuissent, postmodum sermone ad binas circiter horas protracto idem Abbas Pontifici de quinque novis scriptis, quæ ipsi in Jansenianæ doctrinæ favorem composuissent, præviam cognitionem præbere fategit: absoluta autem ejus oratione tandem Pater Desmaresius pluribus demonstrare nitebatur, quod sola gratia ex se efficax ad omne bonum sit necessaria, omnisque alia gratia præter istam non sit Christi, sed Pelagii gratia.

## §. XX.

*Scriptum a Jansenii Defensoribus summo Pontifici oblatum.*

Postquam P. Demaresius suum sermonem longius protraxerat, atque ingruentes noctis tenebræ ipsum præpedirent, ne textus in sententiæ suæ favorem allegatos prælegere posset, summus Pontifex huic Sessioni finem imposuit.

posuit, ceterique Deputati haud ultra Sæc. XVII.  
A. C. 1653.  
 coram Papa audiri postulantes, prius-  
 quam discederent, quinque nova eo-  
 rum scripta, quibus Jansenii librum a  
 censura subducere nitebantur, obtule-  
 runt, ex quibus unum erat in tres co-  
 lumnas dispertitum sub titulo: *Brevissi-  
 ma quinque propositionum in varios sensus  
 distinctio, aperta que de iis tum Calvinista-  
 rum ac Lutheranorum, tum Pelagianorum  
 ac Molinistarum, tum S. Augustini, ejus-  
 que Discipulorum sententia.* Huic scripto  
 nomen suum Romæ die decima nona  
 Maij apposuerunt omnes quinque Janse-  
 nistarum Deputati. Quoniam vero præ  
 reliquis quatuor scriptis hoc idem ma-  
 gis celebre est, mentemque eorum,  
 qui tum Jansenistæ dicebantur, aper-  
 tius demonstrat, illud integrum ex  
 Bibliotheca Sorbonica depromptum  
 huc adducere lubet; erat autem teno-  
 ris sequentis.

*Beatissime Pater.*

*Episcopi Galliarum, quorum votis at-  
 que expectationi Vestra Sanctitas satisfacere  
 se velle testatur, circa quinque Propositiones  
 controversas iudicium ab ipsa postulant,  
 quod & veritatem dilucidare ac confirmare*

Sæc. XVII. Et controversias componere, Et pacem Ec-  
A. C. 1653. clesie restituere idoneum sit.

*Petunt ergo ut de iis, quæ in contro-*  
*versiam inter nos & adversarios vo-*  
*cata sunt, expressam sententiam ferat,*  
*non de iis, de quibus nulla contentio,*  
*nulla quæstio, nulla difficultas exor-*  
*ta est.*

*Hoc ex variis omnium Episcoporum,*  
*qui ad Vestram Sanctitatem scripserunt,*  
*litteris manifestum est. Quapropter primum*  
*officii est, Sanctitatis Vestræ oculis id aperte*  
*exponere, de quo hinc Et nos contendimus,*  
*ut de re, quæ inter nos Et adversarios in*  
*controversiam vertitur, ipsi constet. De*  
*propositionibus autem non in sensu alieno,*  
*ad quem trahi possent, quique a nobis re-*  
*sputur, sed in sensu legitimo, qui a nobis*  
*defenditur, atque adeo de fide Catho-*  
*lica in iis contenta, controversia est, de-*  
*que iis sic sumptis, distinctum ac perspi-*  
*cuum iudicium expectatur.*

*Ne igitur in toto hoc negotio ullus pa-*  
*teat equivocationi, calumniæ, malignitati,*  
*dubitationi locus; veros & germanos*  
*propositionum sensus, quos sustinemus,*  
*quosque impugnant adversarii, si ali-*  
*quid agunt, ante omnia Vestræ Sancti-*  
*tati quam brevissime ac dilucidissime fieri*  
*potest*

potest, exponimus, atque ex una parte errores illis contrarios, quos adversarii tuentur, & ex alia hæreses similiter illis contrarias, quas impugnare se jactitant, cum propositiones impugnant, subjicimus. Ut Sanctitati Vestræ innotescat, nos neque ad dextram, neque ad sinistram declinare, sed doctrinæ Ecclesiæ unice adhærere, & inde Calvinistarum eorumque sequacium, hinc Pelagianorum eorumque reliquiarum hæreses ac errores ex æquo detestari.

Sæc. XVII.  
A. C. 1653.

De utrorumque sententia circa has quinque Propositiones, & de nostra, quæ inter hanc & illam est media, aperte & sincere id quod profiteamur, Sanctitati Vestræ aperimus, prætermittis atque in suum tempus ac ordinem dilatis eorum omnium, quæ asserimus, invictis ut putamus probationibus, nunc nihil aliud intendentes, quam ut primo aspectu, ac veluti in compendio exhibeamus tum id, de quo judicium fieri postulent, expectentque universi Gallicæ Episcopi, tum etiam quam Catholice sentiamus.

## PRIMA PROPOSITIO.

*Aliqua Dei præcepta hominibus iustis valentibus & conantibus secundum Præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia.*

Deest quoque iis *Gratia* qua possibilia fiant.

SENSUS HÆRETICUS.

*Qui primæ Propositioni maligne affingi posset, quem tamen legitime sumpta non habet.*

Iustis omnibus quantumlibet valentibus & conantibus secundum præsentem quantascunque vires, quæ a gratia magna & efficaci habentur, mandata Dei sunt impossibilia. Deest quoque illis semper & quam diu vivunt, gratia, qua possint vel unum ex mandatis Dei sine peccato adimplere.

*Hæc propositio est hæretica, Calviniana, aut Lutherana, & a Concilio Tridentino damnata.*

PRIMA PROPOSITIO.

*Ut a nobis intelligatur ac defenditur.*

Aliqua Dei præcepta aliquibus iustis valentibus & conantibus invalide & imperfecte secundum præsentem vires, parvas scilicet & infirmas, seu auxilio efficaci ad plene valendum & operandum necessario destitutis impossibilia sunt proxime & complete, seu ab iis adimpleri proxime non possunt. Deest quoque illis gratia efficax, qua præcepta illis proxime possibilia fiant, seu deest illis speciale illud auxilium, sine quo iustificatus, ut ait Concilium Tridentinum, in accepta iustitia, id est in observatione mandatorum Dei perseverare non potest.

*Sustinemus, ac demonstrare parati sumus hanc Propositionem ad fidem Ecclesie pertinere, & in sancti Augustini Doctrina indubitata esse, atque a Concilio Tridentino definitam.*

PROPOSITIO.

*Primæ contraria ut ab adversariis defenditur.*

Omnia Dei Præcepta iustis valentibus & conantibus secundum præsentem vires, sunt semper possibilia per gratiam eorum libero arbitrio subiectam. Nec unquam ipsis deest gratia ad operandum vel saltem ad orandum proxime necessaria, qua possibilia fiant.

*Sustinemus ac demonstrare parati sumus hanc propositionem, quæ est soluta & adversariorum, esse Pelagianam vel semipelagianam, quia gratia ex se efficax ad singulos actus necessitatem destruit, atque ita declaratum est in Congregatione Romana de Auxiliis sub Clemente VIII. & Paulo V.*

SECUN-

## SECUNDA PROPOSITIO.

Interiori Gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur.

SENSUS HÆRETICUS.

*Qui Secundae Propositi ni maligne affingi possent, quem tamen legitime sumpta non habet.*

Interiori Gratiae efficaci in statu naturae lapsae eatenus nunquam resistitur, quatenus voluntas hominis respectu gratiae efficaciis mere passive se habet, & veluti inanime quoddam nihil omnino aggit, nec cooperatur, nec libere assentitur.

*Hæc Propositio est hæretica, Calviniana, Lutherana, & a Concilio Tridentino damnata.*

SECUNDA PROPOSITIO.

*Ut a nobis intelligitur ac defenditur.*

Gratiae Christi ad singulos pietatis actus proxime necessariae nunquam resistitur, hoc est, nunquam illa frustratur eo effectu, ad quem a Deo proxime datur.

PROPOSITIO SECUNDÆ

*Contraria, ut ab adversariis defenditur.*

Gratiae Christi ad singulos pietatis actus, seu operandi, seu saltem orandi, necessariae in statu naturae lapsae aliquando resistitur, hoc est, illa aliquando frustratur eo effectu, ad quem a Deo proxime datur.

*Alius sensus erroneus.*

Interiori gratiæ sumptæ pro simplici quadam illuminatione intellectus & suasionem voluntatis in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.

*Hæc Propositio est erronea, quia talis gratia non est vera gratia Christi, ut docet S. Augustinus in lib. de Gratia Christi.*

*Alius sensus erroneus.*

Interiori gratiæ Christi cum adhuc parva est, & dat tantum voluntatem inchoatam, in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur, quantum ad effectum interiorem, ad quem disponit.

*Hæc Propositio est falsa & erronea.*

*Sustinemus ac demonstrare parati sumus hanc propositionem ad fidem Ecclesiæ pertinere, & in S. Augustini doctrina indubitata esse.*

*Sustinemus ac demonstrare parati sumus hanc propositionem, quæ est Molinæ & adversariorum, esse Pelagianam vel semipelagianam, quia gratiæ Christi ad singulos actus necessariæ vim & efficaciam destruit. Atque ita declaratum est in Congregatione Romana de Auxiliis.*



TERTIA PROPOSITIO.

Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.

SENSUS HÆRETICUS.

*Qui tertiæ Propositioni maligne affingi posset, quem tamen legitime sumpta non habet.*

Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate naturali, qualis etiam reperitur in motibus indeliberatis, sed sufficit mera libertas a coactione.

*Hæc Propositio hæretica est, Calviniana, aut Lutherana.*

TERTIA PROPOSITIO.

*Ut a nobis inteelligitur ac defenditur.*

Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate infallibilitatis, sed sufficit libertas a coactione cum iudicio rationis, si consideretur præcise essentia libertatis & meriti, quamquam ex ratione status semper reperitur indifferentia potentiæ, qua voluntas etiam sub gratia proxime necessaria, & ex se efficaci potest non velle, non tamen ut unquam simul cum eadem gratia non velit.

*Sustinemus ac demonstrare parati sumus hanc propositionem esse Catholicam & Augustinianam.*

PROPOSITIO TERTIÆ

*Contraria, ut ab adversariis defenditur.*

Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ requiritur in homine libertas a necessitate infallibilitatis, seu necessaria est indifferentia proxima agendi & non agendi, qua voluntas instructa omnibus ad agendum prærequisitis pro suo nutu modo se flectit in unam partem, modo in oppositam.

*Sustinemus ac demonstrare parati sumus hanc propositionem, quæ est Molinae & adversariorum, Pelagianam esse, quia gratiæ ex se efficaciæ ad singulos pietatis actus necessaria, possibilitatem destruit, atque ita declaratum est in Congregatione Romana de Auxiliis.*

## QUARTA PROPOSITIO.

Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus etiam ad initium fidei: Et in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.

### SENSUS HÆRETICUS.

*Qui quartæ Propositioni maligne affingi posset, quem tamen legitime sumpta non habet.*

Gratia Christi præveniens talis est, ut liberum arbitrium hominis ab ea motum & excitatum non possit dissentire, si velit. Aliiter dicere Semipelagianum est.

*Hæc Propositio est hæretica, Calviniana, aut Lutherana, & a Concilio Tridentino damnata.*

### QUARTA PROPOSITIO.

*Ut a nobis intelligitur ac defenditur.*

Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus imperfectos etiam ad initium fidei; & in hoc hæretice sentiebant, quod vellent eam gratiam talem esse, ut voluntas illi pro nutu suo obtemperaret, vel eam respueret, seu ut ex se efficax non esset.

*Sustinemus ac demonstrare parati sumus hanc propositionem, quoad primam partem, quæ spectat quæstionem facti, esse veram: quoad secundam vero ad fidem Ecclesiæ pertinere, & in S. Augustini doctrina indubitam esse.*

### PROPOSITIO QUARTÆ

*Contraria, ut ab adversariis defenditur.*

Semipelagiani non admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus imperfectos, nec ad initium fidei; nec in hoc errabant, quod vellent eam gratiam talem esse, ut ex se efficax non esset.

*Sustinemus ac demonstrare parati sumus hanc propositionem, quæ est Moliniana, & adversariorum, Pelagianam aut Semipelagianam esse, quæ gratiæ efficacia ad singulos actus necessariam Catholicam fidem, & simul omnem S. Augustini auctoritatem destruit. Atque ita declaratum est in Congregatione Romana de Auxiliis.*

QUINTA

QUINTA PROPOSITIO.

Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse.

SENSUS HÆRETICUS.

Qui quintæ Propositioni maligne affingi posset, quem tamen legitime sumpta non habet.

Christus mortuus est tantummodo pro prædestinatis ita ut illi soli per meritum mortis Christi veram fidem ac iustitiam accipiant.

Hæc Propositio est hæretica, Calviniana, aut Lutherana, & a Concilio Tridentino damnata.

QUINTA PROPOSITIO.

Ut a nobis intelligatur ac defenditur.

Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus, seu nemine excepto mortuum esse, eo sensu ut omnibus nemine excepto per mortem ejus oblata sit gratia ad salutem necessaria, quam consequi in nutu arbitrii sit positum sine gratiæ ex se efficacis adjutorio,

Sustinemus ac demonstrare parati sumus, hanc propositionem ad fidem Ecclesiæ pertinere, & in Sancti Augustini doctrina indubitata esse.

PROPOSITIO QUINTÆ

Contraria, ut ab adversariis defenditur.

Non est Semipelagianum, sed Catholicum dicere, Christum morte sua omnibus omnino hominibus, seu nemine excepto, communicasse gratiam proximè necessariam ad sperandum, aut saltem ad incipiendum & ad orandum.

Sustinemus ac demonstrare parati sumus hanc propositionem, quæ est Molinæ & adversariorum, continere doctrinam Concilii Tridentini contrariam, atque etiam esse Pelagianam, aut Semipelagianam, quia gratiæ Christi ex se efficacis ad singulos actus necessitatem destruit, atque ita declaratum est in Congregatione Romana de Auxiliis.

Hæc

Sæc. XVII.

A. C. 1653.

„Hæc sunt Beatissime Pater, ad quorum omnium plenam explanationem, probationem, confirmationem a vestra Sanctitate & verbo & scripto audiri postulavimus, & ad quorum discussionem pergere parati sumus, quam brevissime feret rei gravitas & amplitudo, & quam diligentissime patientur Sanctitatis Vestræ curæ & occupationes. Interea jam videt ex supra expofitis, nullam de Calvinianis, Lutheranisve hæresibus inter nos atque adversarios esse aut fuisse quæstionem. Si illas ipsi anathematizant, ex animo eas pariter ipsi anathematizavimus, neque cum de his hodie quæstio non sit, eorum impugnationem contra nos suscipere possunt, nisi ut nos calumnientur, atque sub illorum prætextu & involucris sensum Catholicum, quem sustinemus, condemnationis periculo exponant, suumque nostro contrarium, Pelagianum scilicet, & cum eo sexaginta & amplius nefandos errores ex illo, ut ostendemus, necessario consequentes, pro fide Catholica obtrudant. Iterum atque iterum, Beatissime Pater, Sanctitati Vestræ cum omnibus Galliæ Episcopis humillime supplicamus, ut de re proposita & controversa claram firmamque proferat Sententiam: profiteamurque coram ipsa, Nos & universos

versos sancti Augustini discipulos ac Sæc. XVII. A. C. 1653.  
 Defensores (qui ut olim agebat S. Prosper ad Rufinum cap. 2. nunc etiam in ipsis his

locis, in quibus adversus eum querimonia concitatur, propitio Deo ad perceptionem Evangelicæ, Apostolicæque Doctrinæ saluberrimis ejus disputationibus imbuuntur; & quotidie in membris Corporis Christi, in quantum ea ipse multiplicat, dilatantur:)  
 Pro indubitata tanti Doctoris, atque adeo Ecclesiæ doctrina prædictas propositiones, ut a nobis superius expositæ sunt, perpetuo defensuros, quam diu de illis expresse, ut supra expositæ sunt, intellectis, prolatum non erit (quod a Sanctitate Vestra postulamus) solemne definitivumque judicium, quo nobis aperte constet, eas in sensu, quem asserimus Catholicum, esse damnatas.

Quod quidem nunquam fore, Deo adjuvante, confidimus, ut vel ex eo conjicere licet, quod jam pridem omnium sermonibus percrebuerit, Vestram Sanctitatem ita sibi proposuisse de prædictis propositionibus agere, ut ante omnia statuerit, suo loco stare, & illibatam servari debere S. Augustini auctoritatem, cujus doctrinæ notissima pars, & quasi summa est gratia ex se efficax, cum qua prædictæ propositiones inviolabili insolubilique nexu conjunctæ sunt, quemadmodum videre est  
 in

Sæc. XVII. in ipso limine scripti sequentis, in quo  
A. C. 1653. ejusdem gratiæ ex se efficacis ad singulos actus, necessitas solidissimis apertissimisque demonstrationibus comprobatur.

Quæ omnia Sanctitatis Vestræ correctioni ac iudicio subijcimus.,,

Præter hoc scriptum hi Deputati adhuc alia quatuor summo Pontifici porrexerunt, in quorum primo centum & aliquot propositiones potissimum ex Jesuitarum libris decerptæ continebantur, in secundo fusius demonstrabatur necessitas gratiæ ex se efficacis: tertio exponebatur traditio circa verum & Catholicum primæ propositionis sensum, quamvis nec ipsi hi Deputati circa hunc sensum inter se convenissent, aliis consentibus, legitimum quinque propositionum sensum esse sensum gratiæ ex se efficacis, aliis vero propugnantibus, proprium & legitimum sensum esse sensum Calvinianum, quem omnes rejicerent. Quarto demum scripto explicabantur sexaginta circiter S. Augustini loca ab Halliero, ejusque Sociis contra primam propositionem producta, ubi tamen observandum censemus, quod in hoc scripto Jansenium circa gratiam sufficientem, quam negare accusabatur, vindicarint, proin simul ipsum una ex parte defenderint, ex altera accusarint, &

& Jansenistæ jam ante summi Pontificis *Sæc. XVII.*  
*Constitutionem* varios quinque Proposi- *A. C. 1653.*  
 tionum sensus distinxerint, post editam  
 vero hanc Constitutionem mox sensum  
 Calvinianum, quem antea non nisi ma-  
 ligue his propositionibus affingi posse,  
 declararunt, nunc legitimum esse, sen-  
 sum vero gratiæ ex se efficacis degene-  
 rem & improprium esse asseruerint, ad  
 hanc vero sententiæ mutationem coacti  
 videntur dura necessitate, aut Jansenianæ  
 doctrinæ damnationi, aut Pontificis  
 Constitutioni aperte repugnandi: nun-  
 quam tamen alium scopulum, in quem  
 impingerent, declinare poterant: si e-  
 nim Calvini sensum censuerunt impro-  
 prium, tum vel fateri cogebantur,  
 quod summus Pontifex improprium har-  
 um propositionum sensum, intacto pro-  
 prio damnarit, quod absurdissimum  
 fuisset, vel quod quinque propositiones,  
 quas ipsimet in sensu proprio seu hære-  
 tico a nemine defendi dicebant, tam  
 ardentem propugnarint, vel quod hæ-  
 propositiones in sensu distincto a Cal-  
 viniano fuerint damnatæ, cumque hic  
 alius a Janseniano esse non potuerit,  
 hunc proscriptum ipsi ante & post Con-  
 stitutionem propugnarint, proin erro-  
 ris in ea damnati rei sint.

§. XXI.